



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Conversio Magni Avgvstini, Postea Hypponensis Antistitis Maximi**

**Werner, Ignaz**

**Lincii, M DC XCII.**

§. V. Cogitatio Judicij post mortem homini cuiqui evenientis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70025](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70025)

Heu! malè præsentès tantùm complectimur  
 (umbras!

Credite, funereum posttrahit umbra peplum,  
 Heu! malè cū fatuis componim⁹ ignibus aṅos.  
 Ignis habet cineres, nox tegit atra diem.  
 Ut lento graditur vindex Rhamnusia passu,  
 Compensat pœnâ posteriore moram.  
 Ac veluti placidas ubi pius navigat undas,  
 Pellicibus subitò præcipitatur aquis.  
 Pœna diu suspensa moram gravitate reponit,  
 Et quem sera ferit, grandior ira ferit.  
 Inmemor astrorū, quid posthuma tēpora poscāt,  
 Non videt æthereâ mens viduata die.

§. V.

Cogitatio Judicij post mortem homini  
 cuique evenientis.

SENTENTIA.

*In quo quemq; invenerit suus novissimus dies, in hoc eum  
 comprehendet mundi novissimus dies; quoniam qua-  
 lis in die isto moritur; talis in illâ die judicatur.*  
 Epist. ad Dioscor.

**F**errea conditio, justæ stant æthere lances,  
 Quas nulli gemitus, lachryma nulla movet.  
 Fle.



Flebile momentum! sequitur sententia fatum.

Aut amor; aut rigidi iudicis ira manet.

Heu! nimis austeram dispensat cognitor urnam,

Nec precibus flecti se rigor ille sinit.

Omnia sunt adamas miseris fatale tribunal,

Oranda est æquo causa suprema foro.

Pendet inextinctâ mucro plenissimus irâ

Quisquis ades, Damocles, fulminat ipse chalybs,

Nulla reum placido affatur clementia vultu,

Non erit in pœnas dextera lenta Deo;

Et multâ manibusque minax, sed & iride iudex,

Pendula cui circum fulmina flamma rotat.

Ossa timore tremēt, nat plurima lachryma malis,

Lachryma a vernales non positura faces.

Nec prece, nec pretio justissima flectitur urna,

Dura Themis surdâ proterit aure preces.

Ergo age Cecropijs noli madidare camœnis

Mentem; ast æterno fonte bibantur aquæ.

Æternos liceat complecti sensibus annos!

Tempora centeno non rapienda die!

Sulphureos fluvios, volucres Ixionis orbis,

Depastasque novo vulturis ore fibras.

Cuspide fatalis mucro suspenditur astris,

Criminibus vestris æqua statera foret.

Credite, non Tyrio placabitur Æacus auro,

Iusta Themis rigido durior ære magis.

Si



Si potes immoto vultu spectare tribunal,  
 Quô avor omnis abest, cui furor omnis inest.  
 Heu mihi! quos gemitus lachrymosaq; flumi-  
 na fundet.

Quisquis in extremum verterit ora diem.

§. VI.

Respondet Genius Augustini cogitatio-  
 ni Judicij.

SENTENTIA.

*Ille iudex nec gratiâ prævenietur; nec misericordiâ jam  
 flectetur; nec pecuniâ corrumpetur; nec satisfactione;  
 vel pœnitentiâ mitigabitur: dũ corpus habet anima,  
 agat pro se pœnitentiam, quàm diu locus est misericor-  
 diæ; quia ibi locus erit justitiæ. l. 3. de Symbol.*

**H**eu timore lingui premitur facundia labro,  
 Et silet hoc omnis mellea surda foro.  
 Ah pudor! abrupto discedite crimina fræno,  
 Non libeant usquam, quæ licuisse pudet.  
 Infelix! quem dura premunt peccata lupato:  
 Ah ablit Cyprias incoluisse domos!  
 O Nemora! ô roseis gemmantia floribus arva!  
 O testes hederæ, liligeræque domus!

O Phæ-